

receperit. Contra hanc sententiam afferunt Bullam Innocentii VIII. qua concessa fuisse fertur quatuor Abbatibus Cisterciensis Ordinis potestas conferendi Diaconatum. Hanc bullam refert Emmanuel Rodericus in collatione Bullarum Apostolicarum pro Regularibus, quæ incipit 'Exposcit tunc' et data dicitur V. Idus Aprilis an. 1489. Quæstio certe soluta esset, si in facto constaret de hac delegatione Pontificis. Nam factum juridicum summi Pontificis explicans et determinans jus, statuit quid sit in concreto tenendum. *Giraldi in Expos. Juris Pontificii Part. I. sect. CV in adnotationibus ad Cap. 11. De Ætat. et Qual. et Ord. Præfic.* licet fateatur plura opponi posse contra hoc privilegium; tamen ob auctoritatem Doctorum haud inferioris notæ, qui illud admittunt, non audet illud impugnare.

25. Quidquid vero si de authenticitate citatæ Bullæ Innocentii VIII. mihi videtur quæstio post Conc. Trid. fieri amplius non posse, cum privilegia Regularium restrinxerit, ac in *c. 10. sess. 23. de Ref.* abrogatis omnibus privilegiis, præscriptionibus, etc., reliquit Abbatibus quamvis exemptis potestatem conferendi primam tonsuram et Ordines minores suis tantummodo subditis regularibus. Quæ dispositio si connectatur cum *cap. 4. ejusd. sess. 23. de sacr. Ord.* in quo Conc. tradit Episcoporum proprium esse officium ministros ordinandi ita ut hujus functionis 'potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habeant', patet 1<sup>o</sup>. relictum fuisse Abbatibus regularibus privilegium conferendi ordines solummodo minores et primam tonsuram subditis suis regularibus; 2<sup>o</sup>. hoc privilegium esse proprium Abbatum regularium, non vero aliorum Abbatum sæcularium nisi post Trid. novum et speciale privilegium fuerint a Rom. Pontifice assecuti, quemadmodum de pluribus refert Bened. XIV. *De syn. Diœc. L. 2. c. 11. n. 10.* 3<sup>o</sup>. Abbates regulares si sint nullius et proprium territorium habeant in quo exerceant jurisdictionem ecclesiasticam et quasi episcopalem, non possunt conferre tonsuram et Ordines minores subditis suis sæcularibus. Nam Conc. Trid. restrinxit potestatem ad subditos regulares. Quod fuse probat inter alios Fagnanus com. in *cap. 28. de Rescript. a n. 20 ad ult.* et in *cap. 1. De suppl. neglig. Prælat. n. 11.* Quare hac etiam in re speciale privilegium impetrare debent Abbates. Immo cum quæsitum fuisset a S. Congr. Conc. die 14. Maji an. 1689. 'an sub nomine subditorum regularium veniant novitii et oblato, qui nempe vel professionem sunt emissuri, vel qui tantummodo habitum susceperunt cum proposito

tantum perseverandi in instituto religioso, non autem cum intentione sese obligandi per vota solemnia', responsum est 'negative'. Subjectio enim importat obligationem obediendi ex una parte, et jus imperandi ex altera; quæ omnia non nisi per professionem gi-gnuntur. Pariter exorta quæstione inter Episcopum Cataniensem et Monachos S. Benedicti Congr. Cassinensis, sacra Congr. Conc. die 23. Nov. 1641. aliis resolutionibus inhærens, resolvit, Abbates cujuscumque Ordinis vel instituti habentes etiam jura episcopalia et quasi-episcopalia, et facultatem primam tonsuram et minores ordines conferendi, non posse primam tonsuram et minores ordines conferre nisi suis subditis regularibus, non autem regularibus alterius Congregationis, Ordinis vel Instituti, etiamsi habeant literas dimissorias suorum superiorum.

26. Sponte sua fluit dissolvenda quæstio utrum nempe Abbates qui suis subditis Regularibus possunt ex Trid. ordines minores et tonsuram conferre, si ordinent personas in suis privilegiis minime comprehensas, hæc collatio sit tantum illicita, vel etiam invalida. Videretur invalida, quia indoles propria privilegii est ut sese non extendat ultra concessionem, et quidquid extra privilegium est, recidat in jus commune ac proinde non valeat si contra jus ipsum fiat. Tamen sententia contraria rationibus haud quaque aspernabilibus fulcitur. Sane jam plerique Doctores validitatis sententiam tuebantur cum proposita quæstione in s. Congr. Conc. in causa Conimbricen. diei 26. Junii 1655. an etc. responsum fuit 'promotos ab illis non indigere alia collatione dictorum Ordinum, sed absolute et rehabilitatione a Sanctissimo obtinenda'. Similiter responsum est in aliis pluribus causis, super hac re propositis, de quibus consuli potest Bened. XIV. *de syn. Diœc. L. 2. c. 11. n. 13.* Conferri etiam potest Fagnanus in *cap. Statuimus 1. de suppl. neglig. Prælat. n. 11.* Ex quibus patet ordinatos ab Abbatibus extra privilegium esse quidem suspensos ab exercitio Ordinis, valide vero esse ordinatos. Ratio vero validitatis hæc esse videtur quia nempe cum conceditur Abbatibus privilegium seu delegatio tonsuram et ordines minores conferendi, illis conceditur jure delegato, quod Episcopis competit jure proprio et originario; ergo quemadmodum Episcopi ordines conferentes subditis non suis, illicite quidem agunt, sed valide, ita etiam Abbates conferentes ordines personis, quæ in proprio privilegio non continentur, quamvis illicite, tamen valide ordinant.

27. Verum Prof. *De Angelis h. t. n. 2. §. Quæsitum* animadvertit theoriam expositam viguisse usque ad tempus Bened. XIV. post autem illud ævum duas decisiones s. Cong. prodiisse in sententia contraria. Unde concludit, nondum revelatum fuisse sensum s. Congregationis, eamque in hac difficili controversia hærare in diversis sensibus. Præiverat jam Lucidi *De Visitatione ss. Liminum p. 1. vol. 1. cap. 6. §. 1. n. 31.* qui ulterius progrediens ita loquitur, ut teneat, absolute nullam esse ordinationem extraneæ personæ factam ab Abbate, qui privilegio gaudet ordines minores suis subditis regularibus conferendi. At aliter mihi res se habere videtur. Nam 1º. theoria de validitate ordinationis in nostra hypothesi certa erat. Etenim habemus plures et conformes resolutiones s. Congregationis, quarum una in Catanien. diei 3. Dec. 1641 probata fuit ab Urbano VIII. die 15. Febr. an. insequentis 1642. Simulque habemus auctores magnæ notæ, qui theoriam ipsam propugnant. Tales sunt Bened. XIV. et alii quos idem Benedictus enumerat *De Syn. Diœc. L. 2. c. 11. n. 13. in princ.* — 2º. Unica ratio ob quam De Angelis recessum esse dicit ab antiqua regula, est duplex resolutio s. Congr. Conc. in sensu negativo concepta. Verum istæ resolutiones tanti ponderis non sunt ut regulam a pluribus resolutionibus antiquis firmatam destruant. Etenim quoniam stylus s. Congregationis est, ut respondeat casibus particularibus, quando ex una parte constiterit de regula in puncto juris certo posita, et constanter a sacro tribunali observata, et ex altera parte opponatur una vel altera resolutio ejusdem s. Congregationis, criterium quod præ oculis habeatur, est ut nempe in specie resolutionum contrariarum extiterit aliqua peculiaris circumstantia, ob quam Patres regulam prius constanter servatam applicare nequiverunt. Et revera mihi videtur id contigisse in objectis resolutionibus. Nam in causa Collensi diei 24. Jan. 1795. agebatur de Abbate Vallis Umbrosæ, qui clerico sæculari tonsuram contulerat non vi privilegii, quod Abbatibus ex jure communi competit, sed præcise ex peculiari privilegio, quod asserebat se habere ordinandi omnes etiam extraneos. Cum vero deinde constiterit, Abbatem hoc privilegio caruisse, nil mirum si s. Congr. responderit tonsuram esse iterum secreto conferendam. Secunda resolutio objecta sese refert ad causam Olivetanam diei 20. Septemb. 1788. In ea agebatur de ordinibus minoribus collatis ab Abbate post dimissam Abbatiam. Jamvero nemo non videt in hoc casu non

agi de extentione privilegii, sed de actu posito ab eo qui amplius privilegium non habeat. Merito igitur ordinatio declarata fuit nulla. Nam, ceu notat Bened. XIV. loc. cit. fundamentum validitatis ordinationis personæ extraneæ a privilegio est, ut Abbas privilegio muniatur. Quare, ut mihi videtur, integra remanet antiqua regula pluribus et conformibus resolutionibus S. Congregationis Conc. firmata et auctoritate summorum Doctorum roborata.

28. Quæstio secunda proponitur, quinam sit Minister licitæ ordinationis? — Ex conceptu potestatis supremæ quæ in Rom. Pontifice residet dubitari non potest posse ipsum conferre ordines tum minores tum majores fidelibus cujuscumque loci vel Diœceseos. Immo ordinati a Papa præstant aliis honore ex *c. 7. de Majorit. et Obld.* atque id in obsequium Sedis Apostolicæ quæ dignata est honorare personam collatione ordinis. Si vero sermo sit de aliis Ecclesiarum Pastoribus, respondet pro omnibus *Conc. Trid. in c. 8. sess. 23. de Ref.* ubi statuit unumquemque a proprio Episcopo ordinandum esse. Proprius vero Episcopus quoad ordines suscipiendos ex quadruplici titulo constituitur. Scilicet proprius Episcopus esse potest 1º. ratione originis, 2º. ratione domicilii, 3º. ratione beneficii, 4º. ratione familiaritatis. De tribus prioribus loquitur *c. 3. h. t. in 6.*

29. Ratione originis ad ordines recipiendos ille est proprius Episcopus in cujus territorio et jurisdictione quis non casu nascitur, sed ex eo quod parentes ejus ibi habuerint domicilium. Hinc si alicubi quis natus fuerit ex accidentali causa et precaria commoratione ex. gr. ob causam itineris, legationis, mercaturæ vel jusque temporalis moræ ejus parentum in illo loco; non sortitur ibi Episcopum proprium ad ordines suscipiendos. Nam non fortuita nativitas, sed vera et stabilis parentum commoratio attenditur. Quod si vero in loco ubi natus est filius pater inde commoretur adeo ut acquirat ibi de jure verum domicilium, proprius nati filii Episcopus pro ordinibus suscipiendis erit Episcopus hujus loci ubi filius natus est. Immo quamvis pater in loco ubi filius natus est non contraxerit domicilium, sed tandiu cum filio ibi commoratus est, ut filius potuerit contrahere aliquod impedimentum ad Ordines suscipiendos, tenetur filius exposcere ab Episcopo illius loci epistolas testimoniales commendatitias, quæ nullum contractum fuisse ab ipso impedimentum ad Ordines suscipiendos testentur. Hæc videri possunt definita in Const. Innoc. XII. 'Speculatores domus Israel' data die 4. Novem. an. 1694. Animadvertendum

est ad originem filiorum determinandam non considerari originem matris, sed patris. Excipitur casus illegitimatorum, qui dispensationem consequuntur a defectu natalium. Expositi vero obtenta dispensatione, sortiuntur quoad Ordines Episcopum originis in loco ubi nati sunt, vel si ignoretur locus nativitatis, sortiuntur Episcopum in loco ubi fuerunt expositi. Pro neophito qui in adulta ætate fidem amplexus est, Episcopus proprius ille est, in cujus Diœcesi baptizatus est.

30. 2º. Episcopum proprium quis sortitur ratione domicilii cap. 'Cum nullus' 3. h. t. in 6. Domicilium vero pro Ordinibus suscipiendis est non quaecumque, ex. gr. quasidomicilium; sed est verum et proprie dictum domicilium; idest commoratio in aliquo loco cum proposito ibi in perpetuo permanendi. Quare ad domicilium contrahendum requiritur factum et animus. Factum quidem commorationis, quod deducitur ex capta possessione in loco et ex translatione rerum suarum in eundem locum *L. 29. ff. ad municipalem, L. 7. Cod. de Incolis*. Requiritur etiam animus seu propositum stabilis et perpetuæ commorationis. Quod vero propositum non censetur imminutum, licet deinde casu quodam aut ex legitima causa quis alio se transferat. *Cap. ult. De Parochis § Celsus*. Quare licet quasidomicilium ad suscipienda alia Sacramenta sufficiat, et ad contrahendum Matrimonium, tamen non sufficit ad ordines suscipiendos ratione domicilii ab Episcopò loci. Propositum autem alicujus perpetuo manendi in loco ubi natus non est sed commoratur actualiter cognosci potest vel ex facto commorationis jam ibi per decennium protractæ, vel ex translatione in eundem locum majoris partis bonorum suorum cum instructis ædibus et facta ibidem per aliquod considerabile tempus commoratione. Utroque vero in casu, qui petit Ordines ab Episcopo ratione domicilii, animum in loco perpetuo manendi confirmare debet jurejurando. Ita decernit Innocentius XII. in cit. Const. 'Speculatores'. Subdit vero Innocentius: 'Si quis tamen a proprio originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suæ originis testimoniales litteras . . . . afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum Ordinum litteris facienda erit'.

31. 3º. Proprius Episcopus pro ordinibus suscipiendis constituitur ratione beneficii *c. 3. h. t. in 6º*. qui Episcopus juxta cit. Const. 'Speculatores' est ille in cujus Diœcesi ordinandus habet beneficium sufficiens ad sui sustentationem. Porro hoc beneficium

indifferens est, utrum sit duplex vel simplex, utrum residentiam requirat vel non, dummodo sit sufficiens et proprium personæ. Hinc non sufficit promissio aut solum ipsa collatio seu titulus beneficii, sed et possessio beneficii requiritur, immo et pacifica possessio, nec sufficit litigiosa possessio. 2º. Requiritur ut beneficium sit sufficiens ad honestam Clerici sustentationem, ita ut suppleri non possit per adjectionem seu constitutionem patrimonii in supplementum tituli beneficii. Quidquid enim sit de generica dispositione *c. 3. h. t. in 6º. et Concilii Trid. in sess. 21. de Ref. c. 2.* statuentis, neminem posse ordinari ex titulo beneficii nisi ad vitæ honestam sustentationem illud sufficiat; ea quæ diximus aperte definita leguntur in eadem Const. 'Speculatores'. Sufficientia vero beneficii ex eadem Const. determinatur juxta taxam synodalem, vel si ea non adsit determinatur juxta morem regionis in promovendis ad ordines, detractis tamen oneribus. Verum non ubique viget consuetudo ut in determinanda beneficii sufficientia onera Missarum adnexarum detrahantur; quia eleemosyna Missarum inservire potest honestæ Presbyterorum sustentationi. Hanc rem S. Congr. Conc. remisit arbitrio Ordinarii qui videat utrum onera Missarum detrahenda sint vel non a beneficio ut congrua determinetur. *In Arminen. proposita die 17. Julii 1723. Cfr. Bened. XIV. De syn. Diœc. Lib. 12. c. 9.* Quod si vero unum beneficium sit insufficiens, potest suppleri per aliud beneficium, in eadem tamen Diœcesi; quia non prodesset collatio beneficii in altera Diœcesi. Hæc conclusio deduci potest ex ipsa cit. Const. Demum animadvertendum est, a s. Congr. Conc. fuisse quæsitum die 1. Julii 1746. 'an sub nomine beneficii veniret etiam Coadjutoria vera, idest cum futura successione'. Responsum est coadjutoriam Canonicatus vel Dignitatis sufficere ut Coadjutor possit ordinari ab Episcopo loci ubi beneficium illud existit. In *Terraconen. autem Ordinationis diei 1. Julii 1741. s. Congregatio mentem suam explicans, respondit 'Coadjutoriam Canonicatus vel Dignitatis sufficere ut Coadjutor dicatur habere domicilium requisitum in Const. Innocentii XII. incipiente 'Speculatores'.* Unde Coadjutor in casu ordinari potest ab Episcopo loci in quo existit Canonicatus vel Dignitas ex titulo domicilii.

32. 4º. Episcopum proprium aliquis sortitur etiam ratione triennialis familiaritatis: *Conc. Trid. sess. 23. c. 9. de Ref.* Nomine familiaris ille intelligitur, qui dominicæ potestati Episcopi subditur,

et ejus expensis tamquam domesticus alitur. Ut Episcopus alienum subditum ratione familiaritatis possit ordinare plura requiruntur. 1<sup>o</sup>. Ut per triennium integrum cum Episcopo tamquam familiaris fuerit commoratus, non vero sufficit si alibi Episcopi expensis vixerit. Computari tamen potest etiam tempus familiaritatis quod incepit et effluxit antequam dominus ad episcopatum promoveretur. Ita respondit s. *Congr. in causa Brugaten. diei 28. Julii 1580. et in causa Catanien. diei 9. Nov. 1589.* 2<sup>o</sup>. Ut ordinandus afferat Literas testimoniales Episcopi originis et domicilii. 3<sup>o</sup>. Ut beneficium sufficiens statim illi conferat Episcopus. Ex cit. Const. Innocentii XII. illud 'statim' valet ac si diceretur 'saltem intra terminum unius mensis a die factæ ordinationis'. Porro inhærendo verbis sive Conc. Tridentini sive Const. 'Speculatores' dici debet, Episcopum teneri ad conferendum beneficium familiari suo etiam quando eidem contulerit ordines minores vel solam primam tonsuram. 4<sup>o</sup>. Ut Episcopus propriam habeat Diœcesim, et non sit Episcopus titularis. *Conc. Trid. sess. 14. c. 2.*

33. Quæri potest utrum quis ordinatus ab Episcopo qui est proprius ratione unius ex quatuor descriptis titulis, possit alios superiores Ordines suscipere ab alio Episcopo qui etiam proprius sit ex altero titulo, sine licentia prioris. Doctores tenent generatim posse. Requiritur tamen literæ testimoniales prioris Episcopi sive quoad vitam et mores, sive quoad ordines receptos. Excipiunt casum quo quis Ordines recepit ab Episcopo Beneficii residentiam requirentis, quia Clericus ita ordinatus censetur ordinatus pro Ecclesia Beneficii sui, et prorsus dependet ab Episcopo Diœcesano ejusdem Ecclesiæ. Pariter Doctores excipiunt casum quo quis titulo patrimonii laicalis in aliqua Diœcesi ordinatus est. Nam ex mente *Conc. Trid. sess. 23. c. 16.* Episcopus non debet aliquem ordinare titulo patrimonii, nisi pro utilitate vel pro necessitate Ecclesiæ. Quare localis est ratio cur collata fuerit ordinatio, et Episcopus loci est qui possit judicare utrum ratio adhuc vigeat utilitatis vel necessitatis, ut clericus ad altiores ordines promoveatur.

34. **De dimissorialibus literis.** — Quamvis Episcopus per se ipsum subditis suis ordines conferre debeat ex præscripto *Trid. sess. 23. c. 3. de Ref.* tamen si legitima causa verificetur, ex cit. *c. 3. h. t. in 6<sup>o</sup>.* et ex mente *Trid. in eod. cap. cit.* potest dimittere subditum suum, ut ab alio Episcopo ordinetur. Literæ autem quas Episcopi clericis suis concedere solent, et antiquitus

appellabantur *formatæ* vel *reverendæ*, duplicis sunt speciei. Aliæ scilicet dicuntur *dimissoriales*, aliæ autem *testimoniales* seu *commendaticiæ*. Literæ dimissoriales sunt mandata vel preces vel indultum, quibus Episcopus proprius rogat vel dat veniam alteri Episcopo ut Clericum suum ordinet. Quo posito, dimissoriales differunt a literis commendaticiis, et testimonialibus; testimoniales enim nullam licentiam aut facultatem proprie continent, sed vel commendant Clericum, vel de vita, moribus et de ordinibus susceptis authenticam fidem faciunt. Dimissoriales committunt revera alieno Episcopo officium quod exercere deberet Episcopus proprius, et ex acceptis hisce literis alienus Episcopus Episcopum proprium repræsentat.

35. Quæstio 1<sup>a</sup>. quis dare possit literas dimissoriales. — Generale principium statuitur ex *can. 1. dist. 72.* ut nempe ille possit dimissoriales concedere literas, qui potest ordinare. 'Potest enim quis per alium quod per se ipsum facere potest'. *Reg. 68. Jur. in 6<sup>o</sup>.* Hinc quicumque est Episcopus proprius, potest dimissoriales literas dare ad ordines suscipiendos, dummodo non sit excommunicatus *c. 2. h. t. in 6<sup>o</sup>.* Licet vero ordinatio sit actus ordinis episcopalis, tamen jus ordinandi ac concedendi dimissoriales literas induit naturam jurisdictionis; oritur enim ex potestate qua Episcopus gaudet supra fideles promovendos ad sacros ordines. Hinc jus concedendi dimissoriales literas sede vacante transit in Capitulum et in ejus Vicarium. Tamen ex *c. 3. h. t. in 6<sup>o</sup>. § Inferiores* et ex *c. 10. sess. 7. de Ref. in Tridentino*, Vicarius Capitularis non potest hoc jure uti infra annum computandum a die vacationis Ecclesiæ nisi sermo sit de Clericis arctatis ad ordines suscipiendos sive ex beneficio recepto sive ex recipiendo. — Vicarius vero Generalis Episcopi non potest, nisi in mandato expresse facultatem receperit, vel ex Doctorum sententia nisi Episcopus in remotis agat *c. 3. h. t. in 6<sup>o</sup>. § Inferiores*. — Si sermo sit de Abbatibus quantumvis exemptis etiam regularibus vel de collegiis quibuscumque, nullo modo possunt concedere literas dimissoriales clericis sæcularibus eorum jurisdictioni subjectis ex *C. Tridentino c. 10. sess. 23. de Ref.* Sed clerici hujusmodi ordinari ab Episcopo debent intra cujus Diœcesis fines Abbatia vel Prioratus vel Collegium existunt.

36. Quæstio nata est utrum idem dicendum esset de Abbatibus qui vere nullius Diœcesis dicuntur, quique habent territorium proprium extra fines cujuslibet Diœcesis. At etiam hi comprehen-

duntur in cit. Decreto Tridentini; loquitur enim Concilium generatim de exemptis Abbatibus; et docuit s. Congr. C. die 21. Jan. 1619. discusso formiter dubio. Clerici ergo qui pertinent ad hujusmodi Abbacias nullius habentes distinctum territorium ordinandi sunt ab Episcopo viciniore. Vicinitas autem ex decisione S. Congr. an. 1602. (*Lib. 5. Decretor. pag. 66.*) æstimanda est et definienda ratione Ecclesiæ, non vero territorii. Unde attendenda est proximitas inter Ecclesiam Cathedralem Episcopi et Abbatiam, non autem territorii. Cæterum plures Abbates nullius indultum post Trid. consecuti sunt a Rom. Pontifice ad concedendas literas dimissoriales propriis clericis sæcularibus. Conferantur *Bened. XIV. Syn. Diœc. L. 2. c. 12. n. 16. et Fagn. com. in c. 8. de Off. Archid. n. 12. seq.*

37. Quid vero de Superioribus regularibus quoad suos subditos regulares? Servandum est decretum Clem. VIII. editum die 15. Martii 1596. in quo statuitur quoscumque Superiores regulares literas dimissorias concedere debere suis subditis regularibus directas tamen ad Episcopum diœcesanum intra cujus Diœcesis fines est Monasterium, ut ab ipso Episcopo ordinentur. Quod si Episcopus est absens vel habiturus non est ordinationes, tunc poterunt dare literas dimissorias ad quemcumque Episcopum. Expressimere autem tenentur in dimissorialibus literis alterutram ex dictis causis ob quam oporteat ad extraneum Episcopum confugere, vel quia scilicet Episcopus loci in quo est Monasterium abest, vel quia ordinationem non habet. Ut vero omnis fraudis suspicio removeretur *Bened. XIV. confecit Const. quæ incipit 'Impositi Nobis'* de Ordinationibus Regularium tertio kal. Martii an. 1747. et publicavit die 4. ejusdem mensis, quæque in tom. 2. Bull. ejusdem Pontificis est 27<sup>a</sup>. In hac Constitutione statuit, ut in duobus casibus allatis dum superior regularis concedit suo subdito regulari literas dimissoriales ad quemcumque Episcopum, debeat sub pœna nullitatis ipsarum literarum unire iisdem authenticam attestationem Curiae episcopalis vel secretarii Episcopi, ex qua constet Episcopum Diœcesanum vel abesse, vel ordinationem non esse habiturum legitimo tempore proximo ad ordinationem statuto.

38. Sciendum vero est aliquas familias religiosas privilegio frui ut possint eorum alumni ordines recipere a quocumque Episcopo catholico Sedis Apostolicæ gratiam et communionem habente. *Benedictus XIV. autem in cit. loco declaravit, hoc privilegium*

valere tantummodo 1<sup>o</sup>. si fuerit illud privilegium concessum vel confirmatum post Conc. Tridentinum: nam anteriora privilegia circa hanc rem abrogata esse censentur. 2<sup>o</sup>. Ut fuerit nominatim concessum religiosæ familiæ, et non illi vindicatum ex communione, quam vocant, privilegiorum. Maximi momenti est cit. *Const. Bened. XIV. et in ea referuntur, quæ fuerant ab antecessoribus Rom. Pontificibus in hac materia statuta. — Literæ dimissoriales non expirant morte concedentis. Licet enim videantur imitari formam mandati; tamen revera relate ad Clericum continent gratiam jam factam, quæ firma manet etiam mortuo concedente. Cfr. Reiff. hoc tit. num. 139.*

39. Quæritur quandonam requirantur literæ testimoniales, ut licite proprius Episcopus possit subditum suum ordinare. In quadruplici casu requiruntur literæ hujusmodi. 1<sup>o</sup>. Quando clericus ordinatus fuit ab Episcopo proprio ratione unius tituli, et promovendus est ad altiores ordines ab alio Episcopo qui est proprius ratione alterius tituli. Prior Episcopus testimonium ferre debet de ordine collato, de vita, bonisque moribus clerici, nec non de nullius impedimenti existentia, quominus Clericus ad altiores Ordines promoveatur. 2<sup>o</sup>. Requiritur literæ testimoniales Episcopi originis quando Episcopus beneficii vel domicilii ordines subdito suo conferre velit. 3<sup>o</sup>. Requiritur literæ testimoniales Episcopi originis et Episcopi domicilii, quando Episcopus familiarem suum ordinare velit. 4<sup>o</sup>. In genere si subditus proprius Episcopi alibi tamdiu commoratus fuerit ut ibi contrahere potuerit impedimentum canonicum ad ordines suscipiendos requiruntur literæ testimoniales Episcopi loci ejusdem. — Quod autem sit hoc tempus, a jure definitum non est. Tuto autem servari potest regula vigens de literis testimonialibus exhibendis ad probandam libertatem status quando agitur de matrimonio contrahendo; idest si commoratio in aliena Diœcesi protracta fuerit ultra sex menses.

40. Hac in re sciendum est 1<sup>o</sup>. in nuperrima *Const. Apostolicæ Sedis* inter suspensiones latae sententiæ summ. Pontifici reservatas sub n. 3<sup>o</sup>. et hanc designari: 'suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub prætextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi literis dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit, absque

ordinarii ejus loci literis testimonialibus'. — 2°. Sciendum est in *c. 8. sess. 23. de Ref. in Trid.* hanc esse dispositionem: 'Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum et ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus'. Quare etiam quando non requiruntur literæ dimissoriales, tamen necessariae sunt testimoniales literæ Ordinarii proprii. — 3°. In cit. Const. Apostolicæ Sedis, in paragrapho in quo numerantur Suspensiones latæ Sententiæ Papæ reservatæ sub n. 7. hæc leguntur: 'Clerici Sæculares externi ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio, quam ab ipso suo ordinario absque licentia Cardinalis Urbis Vicarii, vel absque prævio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in prædicto examine rejecti fuerint; nec non Clerici pertinentes ad aliquem ex sex episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam Diœcesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non præmissis ante ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo Urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum s. Sedis ipso jure incurrant: Episcopi vero ordinantes ab usu pontificalium per annum.'

41. Appendicis loco quæri potest utrum Episcopus possit in aliena Diœcesi Ordines conferre. Licet ordinatio sit actus voluntariæ jurisdictionis, quæ jurisdictio regulariter in subditos proprios exerceri potest etiam extra proprium territorium *L. 2 ff. de Off. Procons.* tamen hac in re Tridentinæ dispositiones præ oculis habendæ sunt. Primo quidem in *sess. 6. c. 5. de Ref.* traditur: 'Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii prætextu pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia et in personas eidem Ordinario subjectas tantum. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab executione ordinum sint ipso jure suspensi.' Item in *sess. 7. c. 11. de Ref.* 'Facultates de promovendo a quocumque (scilicet literæ dimissoriales generales) non suffragentur nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis Episcopis ordinari non possint, in

litteris exprimendam; et tunc non ordinentur nisi ab Episcopo in sua Diœcesi residente, aut pro eo pontificalia exercente, et diligenti prævio examine'. Ex quibus locis inferunt Doctores 1°. omnes ordines majores et minores conferendos esse in propria Diœcesi Episcopi ordinantis; in aliena autem etiam propriis subditis non posse nisi de licentia Ordinarii loci, et non nisi subditis ejusdem Ordinarii in cujus Diœcesi Ordinatio peragitur. Si secus fiat, Episcopus ab exercitio pontificalium, et ordinati ab exercitio Ordinum ipso facto suspenduntur. Inferunt 2°. extraneos non posse ad ordines promoveri ab Episcopo in aliena Diœcesi pontificalia exercente, nisi litteras dimissoriales proprii Episcopi generales exhibeant. Quod de Clericis afferentibus dimissoriales litteras generales dictum est, dicendum etiam esse videtur de clericis afferentibus litteras dimissoriales particulares Episcopo ordinanti directas. Ratio enim eadem est. — Quamvis in cit. locis de prima Tonsura mentio non fiat, tamen quia et ipsius collatio est actus pontificalis Episcopi, dicendum est, Episcopum in aliena Diœcesi eam conferre non posse absque licentia Ordinarii loci. Neque obstat primam Tonsuram conferri posse ab Episcopo absque insignibus pontificalibus, nam usus eorundem est accidentalis, cum e contra collatio Tonsuræ ecclesiasticæ ex sua institutione et ex jure communi est actus Episcopi et per consequens ceu actus pontificalis incidit sub dispositionem Tridentinam *c. 5. sess. 6. de Ref.* — Quid vero dicendum de loco exempto? Si locus exemptus est intra limites alicujus Diœceseos, ad licitam collationem Ordinum requiritur licentia Episcopi Diœcesani, et Prælati loci illius. Si autem locus exemptus sit extra quamcumque Diœcesim idest nullius Diœceseos, requiritur et sufficit licentia Prælati superioris loci. Ita Doctores explicantes *c. 5. sess. 6. Trid. de Ref.* Ratio harum dispositionum est ordinata administratio jurisdictionis ecclesiasticæ, quæ in concreta conditione Ecclesiæ, ne confusio oriatur, exigit limitationem territorii in exercitio propriæ potestatis.

42. Nunc de titulo Ordinationis qui constituit quartam qualitatem Ordinandorum. — Sciendum est ex primitiva praxi christianæ societatis Episcopos sedem fixisse propriam in civitatibus principalioribus, ibique fundatam fuisse Ecclesiam Cathedralem, idest Ecclesiam in qua aderat Cathedra Episcopalis. Crescentibus vero undique fidelibus, factum est, ut constituerentur Ecclesiæ minores, ad quas de Ecclesia Cathedrali mittebantur Ministri sacri, ut Verbum Dei